

Quis est meus proximus?

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

10, 25-37

In illo témpore:

- ²⁵ **E**cce quidam legis perítus surréxit tentans Iesum dicens:
«Magíster, quid faciéndó vitam ætérnam possidébo?».
- ²⁶ At ille dixit ad eum:
«In Lege quid scriptum est?
Quómo do legis?».
- ²⁷ Ille autem respóndens dixit:
«Díliges Dóminum Deum tuum
ex toto corde tuo et ex tota ánima tua
et ex ómnibus víribus tuis et ex omni mente tua
et próximum tuum sicut teípsum».
- ²⁸ Dixítque illi:
«Recte respondísti;
hoc fac et vives».
- ²⁹ Ille autem, volens iustificáre seípsum,
dixit ad Iesum:
«Et quis est meus próximus?».
- ³⁰ Suscípíens autem Iesus dixit:
«Homo quidam descendébat ab Ierúsalem in Iéricho
et incidit in latrónes,
qui étiam despoliavérunt eum
et, plagis impóstitis, abiérunt, semivívo relícto.
- ³¹ Accidit autem ut sacérdos quidam
descénderet eádém via
et, viso illo, præterívit;
- ³² simíliter et Levíta,
cum esset secus locum et vidéret eum, pertránsiit.
- ³³ Samaritánus autem quidam iter fáciens,

venit secus eum
et videns eum misericórdia motus est,
³⁴ et apprópians alligávit vúlnera eius
infúndens óleum et vinum;
et impónens illum in iuméntum suum
duxit in stábulum et curam eius egit.
³⁵ Et áltera die prótulit duos denários et dedit stabulário
et ait:
“Curam illíus habe,
et, quodcúmque supererogáveris,
ego, cum redíero, reddam tibi”.

³⁶ Quis horum trium vidétur tibi próximus fuísse
illi, qui íncidit in latrónes?».

³⁷ At ille dixit:
«Qui fecit misericórdiam in illum».

Et ait illi Iesus:
«Vade et tu fac simíliter».

Verbum Dómini.